

am argenti de quibus in predicto testamento continetur. volentes rata manere omnia que in eodem testamento nostro condito massilie continentur. preter. LX. libras datas. scilicet tribus pueris nostris. Magistro oddoni. bert-rando. lundvido. quas propter defectum pecunie compulsi sumus reuocare. Preterea decretales portatiles sine apparatu quas possedit predictus prepo-situs holmstanus damus domino olauo sacerdoti de gærisløso. Jtem filiabus adaledis suthrcopie damus tres anulos aureos. & unum domine Walburgi. Jtem mandauimus predictis sacerdotibus & famulis nostris formatas uestes no-stras distribuere in remedium anime nostre prout ipsis uisum fuerit expe-dire. Jtem lundwido famulo nostro dedimus loriam vnam cum capucio quod dicitur culder & unum scactabulum quod in accon nobis erat presentatum. preterea do illi. VII. aureis peciis de quibus predictum est mandauimus poni super feretrum nostrum & post sepulturam nostram fratribus minoribus apud quos sepeliri elegimus fecimus assignari. In quorum testimonium sigillum nostrum & ministri fratrum de sancta trinitate apud quem hospitati fuimus qui & rogatus huic nostre ordinacioni vna cum fratribus suis interfuit duxi-mus & petiuimus apponendum. Datum apud accon Anno Domini. M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>. Octoagesimo. III<sup>o</sup>. iudictione vndecima. Sexto kalendas Septembris.

Sigillet N:o 1, Biskopens, i mörkt vax, något skadadt; N:o 2 bortfallet.

772.

1283 d. 28 Aug.

Schwerin.

Skrifvelse af Bisk. HERMAN samt Grefvarne HELMOLD och NICOLAUS af Schwerin till Ärke-Bisko-pen m. fl. i Danska Riket, rörande deras slägtinges, Grefve JACOBS rättighet till Halland, med begäran att de ville förmå Konungen i Danmark att återlemma denne deras slägtinge hvad honom i arf tillkommer.

L. 10: 1016.

Venerabilibus in Christo Patribus, Archiepiscopis, Episcopis, nec non illustribus viris, Ducibus, Comitibus, Nobilibus, Baronibus, Militibus & Va-sallis in regno Daciæ constitutis. H. Dei gratia Episcopus, Helmoldus & Ni-colaus Comites Sverinenses, salutem & æternam in Domino charitatem. Qvem-admodum veraciter nobis constat ex notitia rei gestæ, ita vestræ univer-sitati scribimus et tenore præsentium publice ac fideliter protestamur, quod dum olim bonæ memoriæ Dominus Gunzelinus, qui una cum Domino Hen-rico comitatum Sverinensem habuit, inclytam puellam Odam filiam suam nobili viro piæ memoriæ quondam Domino Nicolao Comiti Hallandiæ ma-trimomialiter copulasset, medietatem castri Sverinensis ac totius terræ adja-centis prædictæ tanquam hæredi legitimæ patrinorum bonorum assignavit pro dote ad onera matrimonii supportanda. Tandem vero cum idem Nicolaus ex eadem Oda filium generasset sui nominis & prædictæ dotis hæredem legiti-mum, videlicet Nicolaum Patrem Jacobi nunc viventis, et ipse primus Nicolaus

postmodum universæ carnis debitum persolvisset, piæ memoriæ Dominus Waldemarus, inclytus Rex Danorum, prout ex propinqva consanguinitatis linea poterat & debebat, ejusdem Nicolai in ætate pupillari tunc existentis, legitimus tutor erat. Qui dum a suprascripto H. Comite Sverinensi captivus teneretur, & alias a captivitate liberari non posset, mediantibus omnibus, quorum interesse videbatur, hoc extitit placitatum, quod prædictus pupillus, Nicolaus videlicet Nicolai filius, pro redemptione captivitatis prædicti Regis hæreditatem suam, videlicet dotem matris suæ præfatam, in manus illustris Domini Alberti tunc Ducis Saxonie libere resignavit, propter quod in restaurationem ejusdem dotis dictus Rex dicto puero terram Hallandie in regno Dacie liberaliter assignavit, sibi suisque hæredibus in perpetuum libere possidendam, prout hæc omnia in instrumentis Regum & Principum inde confectis plenius continentur, & sicut fide perspeximus oculata. Quapropter universitatem vestram requirimus & rogamus attentissime supplicantes, quatenus illustrem Dominum Ericum, Regem, monitis & precibus votivis ac sedulis efficaciter inducere studeatis, quod Jacobum nobilem virum, nostrum consanguineum, & honorum prædictorum, quæ in restauramen dotis prædictæ data sunt, hæredem legitimum, propter Deum & justitiam restituere non differat & restitutum uti permittat eisdem pacifice & quiete. Datum Sverini præsentibus toto Capitulo Sverinensi ac multis fidelium & vasallorum nostrorum & aliis quam pluribus fide dignis. Anno Domini 1283. In die S. Augustini.

773.

1283 d. 8 Sept.

Vordingborg.

Kon. ERIC i Danmark Stadfastelse på det sköte Kon. WALDEMAR gifvit Grefve NICOLAUS och dess arfvingar på hälften af Halland.

L. 10: 1017.

ERICUS, Dei gratia Danorum Sclavorumque rex, omnibus presentes literas inspecturis in Domino salutem. Suffocaret breviter gesta fidelium processus temporis, nisi scriptis vel testimonio honorum firmarentur. Noverint igitur universi, tam posteri quam presentes, quod quia ex relatu memoriali & testimonio nobilium satis evidentem intelleximus, gloriosum principem Dominum Regem Waldemarum preclare memorie, avum nostrum, ex consilio Regni sui meliorum, medietatem terre Hallandie, cum omnibus proveniuntibus, libertatibus & juribus, ac omnibus & singulis serviciis & attinentiis corone regni pertinentibus Domino Comiti Nicholao & suis heredibus pro terra sua in Zwerin, cum qua a captivitate inimicorum redemptus fuisse dinoscitur, reddidisse in plenam recompensationem, & legaliter sub vere scottationis titulo assignasse, jure perpetuo possidendam, secundum quod in pri-